

emigratio possit iniungi? et si quae alia huc spectantia restant, quo minus, inquam, hoc iam fiat, vetant praegnantissimae illae sub initium harum pagellarum productae rationes; claudamus ergo (inuiti licet, cum praecipua utique huius materiae pars ita intacta supersit,) aperiendos iterum, quando prona, et, ut spero, vix defutura occasio sese offeret, nostros riuulos, et agamus iam id, cuius gratia omnia haec sunt praemissa.

Nostis scilicet, Academiae Rector Magnifice, Proceresque et literariae huius, et militaris, et ciuilis Reipublicae nostrae atque Ciues, quodnam a Potentissimo Rege nostro officium mihi nuper fuerit concreditum; meum est modo, ut ad obeundum illud alacriter atque fideliter me accingam, prius autem, quam ipsi officio me ingeram, pro antiqua inclytae huius Academiae obseruantia verba publice de nobiliori quodam argumento ad Vos faciam. Fiet hoc proxima die Martis, quae huius decurrentis mensis erit decima nona, et dicam quidem:

de nonnullis mediis, tum Academiis, in specie Facultatibus, quas vocant, luridicis famam conciliandi, conciliatamque seruandi illaesam, tum easdem Academias atque Facultates ita adornandi, ut fructus inde in Rempublicam redundant longe vberiores et plane vherrimi.

Graues mihi causae sunt in promptu, quae, ut Thema hoc in vernacula tractetur, facile mihi persuasere; equidem receptis moribus morem alias gero quam lubentissime; cur vero haec quoque Regula exceptionem non pateretur? Nulla sane Lege, quod sciam, tenemur, ad habendas Latino Idiomatice Orationes Inaugurales; neque plane nouum est hoc meum institutum, ipse auditor interfui solenni Actui, cum Illustris BVLFINGERVS (quem Latina callere quis est qui ambigat?) munus Professorium

Ora-